

*Super servos meos et ancillas
effundam Spiritum meum.*

Léctio libri Ioélis prophétæ

3, 1-5

Hæc dicit Dóminus:

- ¹ «**E**ffúndam spíritum meum super omnem carnem,
et prophetábunt filii vestri et filiaë vestræ,
senes vestri sómnia somniábunt,
et iúvenes vestri visiões vidébunt;
- ² sed et super servos meos et ancíllas
in diébus illis effúndam spíritum meum.
- ³ Et dabo prodígia in cælo et in terra,
sánguinem et ignem et colúmnas fumi;
- ⁴ sol convertétur in ténebras,
et luna in sánguinem,
ántequam véniat dies Dómini
magnus et horríbilis.
- ⁵ Et erit:
omnis, qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit,
quia in monte Sion et in Ierúsalem
erit salvátio, sicut dixit Dóminus,
et in resíduis, quos Dóminus vocáverit».

Verbum Dómini.